



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XLIX. Ioannis Papae VIII. Ad Clervm Veronensem. Eiusdem
argumenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

nem post nostram quoque prohibitionem per missos nostros, & apices s̄epissime destinatam, passim recepit, & in cunctis prauitatibus eius conscius, & fautor apparuit. Excommunicauimus igitur prædictum Adelardum Vero-nensem episcopum, donec in præsentiam sedis apostolicæ veniens, de prædictorum excessuum qualitate, idoneam satisfactionem coram positus exhibuerit, quæ si contempserit existens interim, existet per omnia communione iure priuatus, pari vinculo irretiens omnes qui sibi communicauerint, vel contra interdictum nostrum ausu temerario fauerint. vnde vos cautos reddere volumus, si non vul-tis ipsi eidem secundum regulas sacras subiacere iudicio. Optamus fraternitatem, &c.

EPISTOLA XLIX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CLERVM VERONENSEM.

Eiusdem argumenti.

Ioannes episcopus uniuerso clero ecclesiae Veronensis.

EXPERIENTIAE vestræ notum esse volumus, Adelar-dum episcopum vestrum auctoritate sedis apostolicæ communione priuatum, quoniam coenobium Nonantulæ, quod semper apostolicæ sedis, & nostræ ipsius auctoritatis priuilegio munitum nullius inuasionis usurpatione detinebatur; sed solius hucusque abbatis e gremio fratrum eleceti atque prælati moderamine regebatur, subripuit, suisque usibus, coartatis extrema egestate monachis applicauit, & eatenus etiam post frequens interdictum nostrum opprimere, sacerdulariumque manibus dispergitum prodere non formidat, contra sanctorum patrum regulas, nec non & aduersus apostolicæ sedis, & totius sanctæ Synodi sententiam in communionem post nostram quoque prohibitionem per missos nostros & apices s̄epissime destinatam passim recepit, & in cunctis prauitatibus eius conscius & fautor apparuit. Excommunicatum igitur eum scitote, donec in præsentiam sedis apostolicæ veniens, de prædictorum excessuum qualitate idoneam satisfactionem coram positus exhibuerit. Quæ si contempserit existens interim, existet per omnia communione iure priuatus, pari vin-

culo irretiens omnes, qui sibi communicauerint, vel contra interdictum nostrum ausu temerario fauerint. vnde vos cautos reddere volumus, si non vultis ipsi eidem secundum regulas subiacere iudicio. Optamus vos, &c. Data iv. Kalendas Maii, indictione decima.

E P I S T O L A L.

I O A N N I S P A P A E V I I I .

AD LANDVLFVM EPISCOPVM CAPVANVM.

Monet ut sibi significet, an Neapolitanorum dux fœdus cum Sarracenis initum frangere velit, & det operam ut idem dux Guaiferius & Pulchar una secum Traiectum se conferant, quo ipse est iturus; paratum se ad ea quæ promiserat, & maiora concessurum, si ipse dux in sententia persistat.

Ioannes episcopus Landulfo episcopo Capuano.

STUDEA T sanctitas tua certissime scire si Neapolitanorum dux præstantialiter vult pacatum Sarracenorum irrumpere, & fœdere Christi, quod in regenerationis vnda pepigit, vel a nunc, sicut debitum est, veraciter inhærere: & siquidem talem nunc animum habere cognoueris, hoc nobis præstantialiter indicato. Age ut idem dux Neapolitanus, & Guaiferius glriosus princeps, ac Pulchar præfetarius ad Traiectum una tecum accelerent; vbi etiam nos accedentes, quæ Deo sunt placabilia statuemus. Parati enim sumus non solum quæ dicta sunt, sed & maiora concedere. tantum ut eiusdem magistri militum sermo ita sit fidelis & stabilis, & omni certitudine præmunitus, ut securitas ex utraque parte firma maneat, & sine dubitatione certa persistat: quod si quæ repromittunt, aut adimplere nolle aut prolongare velle illos cognoueris: non tibi sit licentia hoc a nostra scientia occultandi; sed quidquid veraciter sine dolo per omnia indicandi. De his ergo stude præstantialiter nos pleniter ac citissime literis tuis instruere; vt quod deinceps Deus dictauerit, cum ipsius auxilio sine mora incipere & perficere procuremus. De quibus ipse præ certe ris curam arripe, qui nimirum speciali prærogativa nostrorum viscerum præ ceteris foueris in antro. Data iv. Kalendas Maii, indictione decima.

Concil. Tom. 24.

I ij